

XXVII. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quod supposita incarnatione in genere causæ finalis, Beata Virgo meruit, ut per eam fieret in executione; non tamen præsupposita incarnatione in executione Beata Virgo meruit, ut fieret; id enim esset implicatorium.

XXVIII. Ad ultimam dicitur non sequi, quod patres meruerunt suam gratiam, ex eo quod merebantur incarnationem, quæ erat causa gratiæ, quia proceditur in diverso genere causæ; merebantur enim incarnationem, ut in executione; erat autem data ipsis gratia anticipate ex vi incarnationis in intentione; non merebantur autem illam prout in intentione, et consequenter neque suam gratiam, quæ ex illa intentione dependebat prout anticipata. Quæ dicta sunt de incarnatione, proportionaliter intelligenda sunt de maternitate Beatæ Virginis: hæc enim, cum essentialiter sit connexa cum Filio suo, qui est Christus, non potuit cadere sub merito de condigno, sed de congruo, sicut ipse Christus.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Christus potuerit mereri suam incarnationem?*

I. Controverti solet hæc difficultas in duplici sensu. Primo, de ipsa Persona Christi: secundo, de humanitate ejus. Loquendo de Persona, non potest intelligi difficultas, nisi respectu operum subsequentium, quia opera procedentia ab ipsa Persona Christi, non potuerunt antecedere ipsammet Personam, et unionem ejus ad naturam: loquendo autem de humanitate Christi, potest esse difficultas, an opera aliqua possint procedere ab humanitate antecedenter ad unionem ad naturam,

præsertim in opinione eorum qui sentiunt humanitatem habere propriam existentiam, et prius natura existere, quam uniatur Verbo. Tunc in illo priori potest intelligi natura cum gratia, et cum operatione procedente a gratia; ergo erit meritoria saltem de congruo ipsius incarnationis, pro alio posteriori exequenda.

II. Circa primum sensum pater Suarez hic disput. x, sect. iv tenet non repugnare, quod per opera subsequencia incarnationem Christus meruerit ipsam executionem incarnationis, quæ anticipata solutione ipsi data est: Deus enim prævidens Christum, et ejus merita, prout in executione, voluit Christo gratiam unionis dependenter ab operibus suis futuris. Et confirmat hoc secundo exemplo allato de gratia sanctorum patrum, quæ data est illis ex meritis Christi prævisis multo antequam incarnatio poneretur; et tamen dependenter a meritis Christi data est, quibus ipsammet gratiam patribus meruit.

III. Si dicatur incarnationem esse principium meriti in ipso Christo, non autem gratiam patrum contra est, quia incarnatio non ut exhibita, sed ut prævisa tantum est principium meriti prævisi; ergo licet incarnatio ut prædestinata non potuerit cadere sub merito, bene tamen ut executata. Aliud exemplum est de rege dante militi equum, et arma in stipendium futuri laboris, quo meriturus est ipsamet arma. Quod exemplum inquit Suarez, licet multis viis vitetur a contrariis nunquam tamen plene satisfaciunt.

IV. Confirmare possumus duplici argumento: Quia Angeli in primo instanti receperunt gratiam per dispositionem ab ipsamet gratia procedentem, eique conjunctam, ut sumitur ex D. Thoma 1 p. quæst. LXII, art. II et III: ergo similiter non

repugnat, quod simul tempore habeat Christus gratiam unionis, et operibus ab illa procedentibus se disponat ad illam: in illo autem priori, quo se disponit potest etiam mereri saltem de congruo id, ad quod se disponit; neque enim illa dispositio est ab operante inimico, sed justificato; ergo potest esse meritoria.

#### CONCLUSIO.

V. Repugnat Christum Dominum mereri per opera subsequencia suam incarnationem, sive de condigno, sive de congruo, neque circumstantias ejus, neque continuationem. Fundamentum hujus conclusionis docet D. Thomas quæst. xxix de veritate, art. vi, his verbis: « Quamvis quidam dicant, quod aliquis potest mereri id, quod jam habet sicut dicunt de Angelis, quod beatitudinem, quam simul cum gratia acceperunt, meruerunt per opera sequentia, quæ circa nos faciunt; sed hoc non videtur verum esse propter duo. Primo, quia contrariatur probationi Augustini, per quam contra Pelagianos probat gratiam sub merito cadere non posse, quia ante gratiam nulla sunt merita, nisi mala, cum ante gratiam homo sit impius et meritis impii, non gratia, sed pœna debetur. Non ergo posset dici, quod gratiam quis meretur per opera, quæ quis post acceptam gratiam facit. Secundo, quia est contra rationem meriti, nam meritum est causa præmii, non quidem per modum causæ finalis; sic enim præmium est magis causa meriti, sed magis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, et per hoc ad præmium disponit. Id autem, quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cujus est causa; unde non potest

esse, quod aliquis mereatur id, quod jam habet. Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. » Sic S. Thomas.

VI. Ex quibus elicimus hanc rationem, quia habere, seu possidere aliquid stat dupliciter. Uno modo proprie, et perfecte, quando quis habet aliquid tamquam suum, et tamquam proprium: alio modo improprie, et secundum quid, quando habet aliquid, quasi commodatum, et ad usum, modum tamen habet, illud simpliciter, et proprie. Si primo modo habetur aliquid implicat, quod per opera sequentia mereatur illud, quia meritum dat titulum possessionis, et proprietatis, faciendo dignum præmio. Ergo præmium non possidetur, neque habetur simpliciter ante meritum, nisi forte proponatur alicui in præmium: non res ipsa, quam habet, sed novus titulus habendi illam, et tunc ille novus titulus non possidebatur ante meritum; res vero ipsa possidebatur antea, sed alio titulo.

VII. Unde Suarez percipiens vim hujus rationis, dixit potuisse incarnationem dari Christo non absolute; sed sub conditione, et dependenter ab operibus faciendis, quod est dicere, potuisse dari incarnationem, quasi commodatam, et mutuo quousque solveretur, quod pertinet ad secundum modum supra positum habendi aliquid, non ut suum, sed ut commodatum. Et sic verum est, quod ante meritum potest quis habere præmium, quasi mutuo, et commodato, quousque mereatur illud, et tunc incipiet habere illud, tamquam proprium et suum. Sed tunc necesse est, quod ex alio principio influat valorem in actus, quibus meretur, quia si meritum accipit valorem ex ipsa re, quæ datur in præmium manifestum est, quod

non offertur pretium distinctum a tali præmio: ergo non faciet illud debitum sibi. De ratione autem meriti est, ut faciat præmium sibi debitum, et utatur commutatione quadam inter meritum, et præmium; commutatio autem non est nisi inter res diversas.

VIII. Et hinc elicitur secunda ratio specialis pro hac materia, quia licet gratia sit distinctum principium merendi ab ipsa incarnatione, et videri posset, quod actus ut correspondens gratiæ in Christo sit meritorius de congruo ipsius incarnationis, tamen in hoc subjecto, scilicet in Christo, habet dependentiam ille actus in suo esse, et productione ab ipso supposito, ut a principio quod: ergo ipsa operatio, ut existens, involvit secum, et includit ipsam personam, ut principium a quo dependet in suo esse, quia meritum est causa moralis, et per modum pretii ad habendum ipsum præmium. Ergo si essentialiter procedit ab illo, et supponit ipsum, jam non est causa habendi illud, sed supponit habitum. Nisi dicatur, quod præsupponit habitum gratis, et incipit habere illud, ut debitum; et tunc necesse est, quod non includat ipsum, ut principium a quo procedit, et unde habet esse, et valorem.

IX. Ex quibus colligitur, quod neque potuit Christus mereri circumstantias, quibus facta est incarnatio, neque continuationem illius. Non circumstantiam, quia licet ab illis meritum non accipiat valorem, tamen quia supponit factam incarnationem, operatio ab illa procedens etiam supponit circumstantias, sine quibus facta non est: ergo illas circumstantias, quibus in re facta est non potest per subsequentem operationem mereri. Non continuationem, quia continuatio incarnationis est eadem indivisibilis actio, qua incho-

ata est; licet enim continuatio in rebus successivis, et divisibilibus fiat per successionem diversarum partium, et in talibus non repugnet per unam partem operationis mereri aliam successivam, tamquam partem distinctam durationis, tamen hoc locum non habet in duratione incarnationis, quæ non fit per actionem successivam, sed per indivisibilem: et ejus duratio simplicior est, et permanentior, quam duratio rei indivisibilis, ut Angeli, vel beatitudinis, quia est altioris ordinis, ut colligitur ex D. Thoma infra quæst. I, artic. II. Sicut ergo non potest cadere sub meritum ipsa actio incarnationis, ut primo facta est, ita neque ut continuata, quia eadem indivisibilis actio est, non successiva, sicut beatitudo eadem actione indivisibili continuatur, quia ex sua natura est vita æterna, unde qui semel meretur beatitudinem, totam ejus continuationem meretur, quia eadem est indivisibilis inceptio, et continuatio beatitudinis, quia successione caret. Et idem potiori jure dicendum est de incarnatione.

X. Dices: Poterat mereri Christus, ne humanitas dimitteretur a Verbo, aut ne annihilaretur: secundo, poterat mereri reunionem factam humanitati in resurrectione: tertio, potuit mereri unionem ad illas partes materiæ, quibus de novo augmentabatur, et nutriebatur sanctissimum corpus ejus.

XI. Respondetur illud primum non posse cadere sub merito, quatenus est actio divina tenens se ex parte Dei; sed omne meritum respicit aliquem effectum productum per actionem divinam. Unde homo etiam justus merens de congruo conversationem gratiæ, meretur aliquid novum, scilicet auxilia Dei, ne deficiat a gratia. Conservatio autem incarnationis, et beatitudinis in

sua duratione non dependet ab aliis auxiliis, ne deficiant, sed ex sua natura indefectibiles sunt. Mereri autem, quod Deus non suspendat concursus, et annihilat humanitatem, vel etiam ne dimittat illam non importat aliquem effectum præter ipsam continuationem incarnationis in duratione, et actionem sustentantem illam, et sic non addit aliquid novum, quod cadere possit sub merito.

XII. Ad secundum et tertium dicitur, illas uniones non esse ipsam unionem incarnationis simpliciter, sed aliquid novum assecutum ex priori unionem; nec repugnabat cadere sub merito, sicut ipsa resurrectio: ex eo enim quod Verbum assumpsit naturam humanam in statu passibili, ex consequenti voluit, partes assumere nutrimentales, secundum quas humanum corpus est in continua sustentatione, et fluxu. Et ex eo, quod divinitas in morte non est separata a partibus, consequens erat, quod si iterum unirentur inter se, maneret unio facta humanitati, et sic mereri talem unionem non est mereri ipsam incarnationem, sed aliquid consecutum ad ipsam unionem.

XIII. Ad argumenta Suaresii a principio posita, respondetur. Ad primum exemplum, constat ex ibi dictis, quod incarnatio erat principium dans valorem ipsis meritis Christi, et præsupposita tamquam principium operativum illorum; gratia autem collata patribus ex meritis Christi erat principium omnino distinctum, et nullo modo dans valorem ipsis meritis Christi; et quia talia merita erant excellentiora, quam gratia patrum, poterant ut prævisa in genere causæ finalis, esse motivum dandi gratiam patribus, et deinde ipsa gratia mereri de congruo executionem meritorum Christi, a quibus non habebant va-

lorem intrinsecum, sed solum extrinsecum motivum, ut darentur.

XIV. Ad aliud exemplum de rege dante militi equum et arma, respondetur hoc exemplum in terminis adduci a D. Thoma I part. quæst. XXIII, art. V, et ex ejus doctrina respondetur, quod si tota ratio merendi esset in milite, ex armis, et equo, non posset per opera sequentia promoveri illa. Cæterum ratio, et valor merendi est ipsa virtus, et industria militis; equus autem, et arma sunt instrumenta, quibus utitur; et ita per opera procedentia a sua virtute, potest mereri pretium equi, et armorum. At vero in operationibus gratiæ, vel incarnationis totus valor merendi est ex principio supernaturali, quia valor ille supernaturalis est. Unde repugnat, quod talia opera mereantur pro præmio ipsum principium a quo habent valorem.

XV. Ad ultimum respondetur Angelos esse justificatos per propriam dispositionem, quæ potest mereri de congruo ipsam gratiam, quæ in eodem instanti infunditur, non quatenus gratia procedit, sed quatenus ab auxilio; hoc enim sufficit ad meritum de congruo. Cæterum ad incarnationem non præcedunt dispositiones aliquæ, vel auxilia, ut operetur ipsum subjectum, quia incarnatio constituit primum esse subjecti, id est, ipsam personam; unde non potest intelligi in Christo aliqua operatio, quæ non habeat ipsam incarnationem pro principio, et consequenter non potest mereri illam.

XVI. Ad secundum sensum difficultatis respondetur, quod admissa illa sententia de existentia propria humanitatis, quæ tamen non est D. Thomæ, ut videri potest infra quæst. XVII, artic. II, adhuc humanitas non potest in illo priori mereri, neque operari, quia etiam dato,

quod haberet propriam existentiam, non haberet illam nisi ut principium quo, seu forma; non ut principium quod. Principium autem quo, sine subsistentia non potest operari, quia operationes sunt suppositorum, ut supra latius diximus. Cum ergo pro illo priori humanitas proprium suppositum non habuerit, et quia fides docet nunquam fuisse sine supposito divino, ideo pro illo priori non potuit operari, et consequenter nec mereri.

XVII. Vazquez autem disputatione XXI, negat illud principium: Actiones sunt suppositorum, sed dicit solum esse singularium, et existentium; quod etiam totum habere poterat humanitas pro illo priori, et ideo tradit aliam rationem in capite sexto, cur non potuerit humanitas mereri de congruo incarnationem, quæ tamen nihil probat, quia non ostendit gratiam habitualement Christi, non potuisse dari illi humanitati intuitu unionis pro alio priori naturæ subsecuto, sicut gratia data est patribus intuitu incarnationis; et sic non repugnabit dari Christo intuitu ejusdem unionis. Nec tamen propterea illa gratia, etiam pro illo priori constitueret filium adoptivum, quia filiatio non est naturæ, sed suppositi, seu personæ, ut dicitur infra quæstione XXIII. Pro illo autem priori nondum intelligebatur persona, sed sola natura, et ita gratia in natura nondum dabat effectum proprium personæ, qualis est filiatio adoptiva.

### ARTICULUS III.

*Utrum detur causa instrumentalis physica incarnationis.*

I. Inter eos, qui sentiunt non posse dari causalitatem physicam instrumentalem sacramentis, conse-

quenter existimant, neque etiam dari talem causalitatem pro incarnatione, ut Vazquez dist. XXV, capite primo; qui vero tenent causalitatem istam esse possibilem, dividuntur; nam pater Suarez hic disp. X, sectione prima, existimat posse dari instrumentum physicum incarnationis, quod etiam probabile reputat Cabrera quæst. II, artic. X, disputatio prima. Imo quod probabile est de facto hoc fuisse communicatum Beatæ Virgini Mariæ, alii sentiunt oppositum, ut Medina III part. quæst. III, art. IV; Alvarez quæst. III, art. II, disp. XII.

II. Nos vero supponimus, et admittimus, posse dari causam instrumentalem physicam circa immutationes supernaturales, excepta immutatione annihilationis, et creationis, ut tradit D. Thomas infra quæstione XIII, articulo secundo. Atque ita non debet negari instrumentalis causalitas propter excellentiam, et perfectionem rei productæ per illam, etiamsi requirat infinitam virtutem, sicut est productio gratiæ. Sed tota ratio ad negandum causam physicam instrumentalem pro alicujus termini productione, debet sumi ex ipso modo. Si enim aliquid produceretur ex nihilo, et cum carentia subjecti, non potest concurrere ad illud causa instrumentalis creata, quia hæc non operatur nisi ex subjecto, quia operatur per actionem, quæ accidens est, et ipsa operatio instrumentalis est per modum applicationis virtutis principalis agentis ad aliquem effectum, et omnis applicatio circa subjectum est, non circa nihil.

III. Si vero id, quod producit sit ex aliquo subjecto, bene potest admittere causalitatem instrumentalem creatam, ut latius solet tractari infra quæst. LXII de sacramentis: et nos diximus tomo II, I part.

circa quæstionem XLV, ostendendo non posse dari instrumentum creationis. Quare hoc solum restat videndum hic, utrum incarnatio sit talis effectus, quod supponat aliquod subjectum existens, circa quod possit operari instrumentalis causalitas, vel non supponat illud; unde discernendum est an sit possibilis talis causalitas, vel non.

### CONCLUSIO.

IV. Dico ergo quod in sententia, quæ tenet humanitatem existere propria existentia non potest assignari implicatio quare non possit dari instrumentalis causalitas incarnationis; in sententia tamen opposita, quæ est D. Thomæ infra quæstione XVII, art. II, quod humanitas non habet existentiam propriam, sed divinam, potest assignari hæc implicatio.

V. Prima pars probatur, quia si humanitas habet existentiam, capax est ut circa illam versetur actio creaturæ; ergo potest Deus uti tali actione ad immutandam humanitatem, et producendam in illa unionem ad Verbum: sicut potest uti instrumento ad uniendum intellectui beati suam essentiam loco speciei, quia licet actio creata non habeat vim supra essentiam, habet tamen super intellectum creatum, ut participet unionem illam cum Deo.

VI. Ratio vero secundæ partis est, quia illa assumptio incarnationis nullum esse supponit in humanitate, sed totum tribuit; ergo in hoc æquiparatur creationi, unde ipsamet assumptione potest creatio Angeli, vel animæ perfici, vel consummari si assumatur a Verbo, quatenus ipsa creatio, quæ de se tendit ad producendum Angelum, vel animam

in esse impeditur per assumptionem, ne resultet proprium esse, sed loco illius communicetur ipsum esse Personæ divinæ. Qua ratione dixit S. Leo papa epistola XI: « Nostra natura ita assumpta est, non ut prius creata assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. » Quod non est sic intelligendum, quasi creatio, et assumptio sint eadem actio, sed quia esse, quod deberet dare creatio, impeditur, et supplevit assumptio. Habet ergo assumptio vim creationis quantum ad hoc, quod est præbere totum esse, et nihil supponere existens in natura; ac proinde eadem difficultas est ponendi actionem instrumentalem in incarnatione, et in creatione.

VII. Unde falsum est, quod dicit Suarez incarnationem fieri ex præsupposito subjecto, scilicet humanitate, vel secundum esse existentiam, vel secundum esse essentiam; vel etiamsi humanitas præexisteret in proprio supposito, et assumeretur a Verbo, tunc haberet subjectum circa quod versaretur actio instrumentalis. Sed respondetur humanitatem non præsupponi, ut subjectum existens, quia totum esse habet per assumptionem, si quidem esse proprium non manet, sed esse Personæ divinæ, per cujus communicationem existit humanitas. Operatio autem creata non versatur, nisi circa aliquid existens, in quo subjectetur. Si autem humanitas præexisteret, cum illa assumptio non fieret producendo aliquod accidens in humanitate, vel convertendo, aut transmutando ipsam, sed totum esse illi uniendo, per quod destrueretur proprium, et acciperet esse divinum, tunc non apparet quomodo id posset fieri per actionem instrumentalem, quæ nunquam potest præbere totum esse, sed solum ex aliquo præsupposito educere, vel convertere.